

XVIII

MARIE EFFIGIES FORMOSA VALDE.

1° EX ANTIQUIS IMAGINIBUS.

XVIII
65
1

Tota pulchra es, amica mea. Tota pulchra es.
(Cant.) — En effigies B. Virginis, quam, et antiquis imaginibus et ex Epiphanio, pingit Nicephorus, lib. II, cap. XXIII : « Mores autem, formæque et staturæ ejus modus talis (ut inquit Epiphanius) fuit : erat in rebus omnibus honesta et gravis, pauca admodum eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis et perquam affabilis, honorem suum et venerationem omnibus exhibens : statura mediocri, quamvis sint qui eam aliquantulum mediocre longitudinem excessisse dicant. Decenti dicendi libertate adversus homines omnes usa est, sine risu, sine perturbatione et sine iracundia maxime ; colore fuit triticum referente, capillo flavo, oculis acribus, sublavas tanquam oleæ colore pupillas in eis habens ; supercilia erant et inflexa et decenter nigra, nasus longior, labia florida et verborum suavitate plena ; facies non rotunda, nec acuta, sed aliquantulo longior, manus simul et digiti longiores. Erat denique fastus omnis expers, simplex minimeque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens ; vestimentis, quæ ipsa gestavit, coloris nativi contenta fuit, id quod etiamnum sanctum capitis ejus velamen ostendit. Et, ut paucis dicam, in rebus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia. »

Simili ergo modo Lucas hic ponit pingitque B. Virginem, talem, qualis ipsa in se erat, qualemque se exhibebat ; minimam, quia ut minimam se gerebat ; novissimam quia novissimam se exhibebat.

Hoc imitaturæ sunt sanctæ matres familias, ut S. Monica, quæ « erat serva servorum tuorum, o Domine, etc. Ita curam gessit, quasi omnes genuisset ; ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset, » ait S. Augustinus, lib. IX *Confess.*, cap. IX. Et S. Paula, de qua Hieronymus in ejus *Eptaph.* : « Quæ prima, ait, christianorum virtus est, tanta se humilitate dejecit, ut qui eam non vidisset, et pro celebritate nominis videre gessisset, ipsam esse non crederet, sed ancillarum ultimam. Et cum frequentibus choris virginum cingeretur, et veste, et voce, et habitu, et incessu minima omnium erat. »

2° EJUS FACIES AUGUSTA MAJESTATE VENERABILIS ERAT.

Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. (Exod. XXXIV, 29) — Ita radiabat facies augusta B. Virginis ex assidua conversatione cum Deo et Verbo incarnato, ut dea quædam esse videretur, teste S. Dionysio.

I
747
2

3° EJUS PULCHRITUDO CORPORIS.

(Vide superius VI. 517. 2 et XVII. 65. 1.)

Fallax gratia, et vana est pulchritudo ; mulier timens Deum ipsa laudabitur. (Prov. XXXI. 30) — Allego-

VI
530
1

rice : S. Augustinus, serm. 45 *de Diversis* : « Fallax, ait, gratia, et vana species mulieris, quia si charitatem non habeo, nihil sum, etc. Timorem autem Domini ipsa collaudat, ipsaque benedicitur. Quid collaudat? Timorem Domini quo perducta est ad sapientiam. *Initium enim sapientiae timor Domini.* Timorem autem Domini ipsa collaudet, laboriosa tot laudibus, inter tot scandala patiens, provida ad expectandum, fortis ad tolerandum, constans ad perseverandum. Laboribus finitis, date illi de fructibus manuum suarum. Quid date? *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum vobis paratum ab origine mundi.* »

Hunc gnonem adaptes B. Virgini, quæ corpore fuit eximie præclaro et pulchro, non feminea et illecebrosa, sed gravi, decora, venerabili et augusta pulchritudine, qualem præferunt imagines ejus a S. Luca depictæ, quas hic Romæ spectemur et veneramus. Eadem patet ex egregia physionomia membrorum ejus, quam graphice ex Epiphanio presbytero depinxit Nicephorus, lib. II, hist. cap. xxiii. Ipse Dionysius (carthusianus) lib. I. *de Laudib. Virg.*, cap. III, art. 35 : « A planta, ait, pedis usque ad verticem capitis, nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in anima indecens, reprehensibile, indecorum, imo totum fuit divinæ sapientiæ formatum pulcherrime, circumcisum ab omni superfluitate, plenissime ac speciosissime operatum. Nempe sicut Christi humanitatem propter ejus personalem cum Deo unionem, decuit omni perfectione natura et gratiæ in termino excellentia præfulgere. Ita ipsius genitricis personam post unigeniti sui humanitatem, oportebat in omnibus sic

ornari. Quoniam post hypostaticam in Deo conjunctionem, non est alia tam vicina, aut unio matris Dei cum Deo filio suo. » Hæc Dionysius.

Idem, art. 36, existimas virginis sanctissimæ vultum splendore quodam illustratum, ejusque carnem suavem odorem spirasse.

Secundo, quia ipsa ceu mater formavit corpus Christi, quod fuit speciosissimum, juxta illud Pslam. XLIV : *Speciosus forma præ filiis hominum ; diffusa est gratia in labiis tuis* : Christi ergo species et pulchritudo derivata est a specie et pulchritudine matris ; hanc enim magis a matre quam a patre trahere solent proles, utpote quæ in earum utero formantur et eorum visceribus ; quare sæpe proles solent magis matrissare quam patrissare magisque matris lineamenta, mores et gestus, quam patris referre, juxta illud : « Multum de patre decoris, plus de matre feras. »

Tertio, quia interna mentis pulchritudo transfundebat se in corpus Virginis, quo fiebat ut divina ejus puritas et sanctitas luminosa in facie radiaret. Simile de S. Antonio scribit S. Athanasius.

4° CORPUS HABUIT UNDEQUAQUE PERFECTUM.

(Vide supra : EJUS PULCHRITUDO VI, 531, 4.)

5° EJUS STATERA FUIT PROCERA.

Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris. (Cant. VII, 7.) — B. Virgo physice statura fuit procera, teste S. Epiphanio apud Nicephorum, lib,

II, 23. Ethice statura ejus fuit celsitudo animi, præsertim in adversis et passione Christi; unde de ea ait Joannes, cap. XIX, v, 25: *Stabat juxta crucem Jesu mater ejus. Stabat*, inquit Guilielmus, *illa juxta crucem* sui Jesu, atque eo ipso sibimet quodam modo erat in crucem erecta, stando juxta crucem filii, ipsa sibi quodammodo per affectum maternum facta erat crux. Sic ergo cum staret juxta insignem illam palmam, *statura ejus assimilata est palmæ*, sed clarificato jam filio, a resurrectione ejus et deinceps, *ubera ejus assimilata sunt botris*; unde et sequitur: *Ascendam*, etc. Palma non longitudine, sed statura, id est statumine et firmitate superat coeteras arbores.

Mystice, talis est B. Virgo; unde de ea sic scribit S. Epiphanius, t. III, *hæresi* 78: « Cum Joannes in Asiam instituerit professionem, et nusquam dixit Scriptura quod abduxerit secum sanctam Virginem, sed simpliciter siluit propter miraculi excellentiam, ut ne ad stuporem perduceret hominum mentem. »

Sic et S. Dionysius *in epist.* ad S. Joan., dicit se ita ad aspectum et majestatem Virginis obstupuisse, ut nisi fides eum docuisset unum esse Deum in cœlis, utique hanc Virginem deam esse credidisset; et Honorius *in sigillo Mariæ*: « Christus, ait, fuit palma in cruce quia per eam homo adipiscitur victoriæ palmam; cui *assimilata est statura*, id est altitudo gloriæ Mariæ, quia sicut ipse est rex cœlorum, ita et ipsa regina est angelorum; *Et ubera tua, botris*, id est merita tua assimilata martyribus, qui sicut botri pressi sunt passionibus. » Rursum statura palmaris B. Virginis fuit rectitudo bonæ intentionis, et sanctæ operationis directio, per quam instar palmæ crucis Christi triumphat de malignis spiritibus, ait Hailgrinus.

Plenissime Alanus: « B. Virgo (quasi palma) asperum habuit corticem, quia quantum ad sæcularem honorem fuit infirma, quantum ad divitias temporales paupercula; sed firmitatem habuit roboris per constantiam mentis. Erecta fuit stipite quia suspensa in cœlum animi intentione, pulchra in culmine, in virginitatis et humilitatis celsitudine, delectabilis in flore quia sine concupiscentia concepit florem campi et lilium convallium. Dulcis in fructificatione, quia sine pœna peperit mundi redemptorem. Hæc nobis proponitur in signum victoriæ, et exemplum, ut sicut ipsa vicit mundum, peccatum, diabolum, ita et nos vincamus juxta posse nostrum. Ubra Mariæ dicuntur virginitas et humilitas, in quibus delectatus est Christus, quoque nobis proposita sunt ad informandum et instruendum, ut sequamur vestigia ejus. Et comparantur *botris* quia botrus in flore parit odorem, in fructu dulcedinem, calefacit etiam et reficit; sic virginitas et humilitas virginis fragrant odore bonæ opinionis, fructum dulcedinis propinant, calefaciunt in amorem et reficiunt ad spiritualem satietatem. »

Porro hæc omnia quæ de Ecclesiæ, animæ sanctæ et Deiparæ forma et pulchritudine, ejusque membris puta pedibus, femoribus, umbiculo, ventre, uberibus, collo, oculis, naso, capite, coma, statura, a vers. 4 hucusque dicta sunt et deinceps dicentur, mutato nomine, adapta humanitali in Christo a Verbo assumptæ. Hæc enim prima et intima est Verbi sponsa qua Ecclesiam, animas cunctas et Deiparam eidem Verbo despondet, uti dixi in præmio, cap. II.

6° FUIT SIMILIS PALME. — (Vide supra, VIII 191, 2).

7° EJUS FACIES DESCRIBITUR.

Nolite me considerare quia fusca sim etc. (Cant. I. 5)
 — Tertius sensus, principalis : primo : B. Virgo quod colorem fuit fusca et subnigra, quales sunt Ægyptii et Palestini, quia sole torrentur; id liquet ex imagine ejus a S. Luca depicta, quæ Romæ in basilica S. Mariæ majoris religiose colitur. Unde Nicephorus, II *hist.* cap. xxiii, et S. Epiphano, sic ejus formam describit, (ut jam visum est) :

« Colore fuit triticeo, capillo flavo, oculis acribus, subflavas et tanquam oleæ colore pupillas in eis habens; supercilia ei erant inflexa et decenter nigra, nasus longior, labia florida, et verborum suavitate plena; facies non rotunda et acuta, sed aliquanto longior, manus simul et digiti longiores. »

Eadem habent S. Anselmus et Cedrenus in *compendio*. Hæc facit et Theocritus, *Idyl.* 40, qui syras feminas esse fuscas hisce versibus testatur :

*Bombyce graliosa, vocant te omnes
 Gracilem sole combustam
 Ego autem solus mel recens*

Secundo, B. Virgo in puritate et sanctitate fuit lucidissima; quæ tamen si cum transcendente sanctitate Dei et Christi comparetur, videtur offuscari, sicut lanæ fulgor splendore solis hebetatur et fuscatur.

Tertio, fusca fuit, quia gravida fœtum utero gessit, eumque peperit sicut matres cœteræ quæ, dum concipiunt et pariunt, palleseunt et fuscantur : at B. Virgo conceptu et partu hoc non fuscata sed potius

deaurata et quasi deificata fuit, quia concepit et peperit Dei filium, qui est lux mundi.

Ita Rupertus : « Nolite, ait, filiæ Jerusalem, considerare me quod fusca sim, id est corrupta; quia quod tumentem habeo uterum, quod inventa sum in utero habens, non fecit vir, quia virum non cognosco, sed ita decoloravit me sol. Verus sol, et sole Deus longe pulchrior, semetipso me implevit, de semetipso uterum meum tumentem reddidit. Homine est decolorari? Non apud vos, o filiæ Jerusalem, quæ habetis oculum simplicem, sed apud superbiorum cogitationes, quorum nequam est oculus. Non erat nequam oculus Joseph, sed quamdam excusabilem ignorantia nebulum habens, cito purgatus est, dicente sibi Angelo Domini, quod sana cute decolorata essem, quum non flamma ignis de deorsum, sed desuper sol decoloravit, quod salva virginitate gravida essem: quam non vir terrenus, sed pater cœlestis de Spiritu sancto gravidam fecit. »

Maternitas, ergo, virginitatem in B. Virgine, non decoloravit, sed summe decoravit.

Denique in passione Christi assistens cruci non tam solis quam doloris ardoribus fuit fuscata; sed hanc fuscedinem mox abstersit gloriosi Christi resurrectione et apparitione. Ita Hailgrinus et Guilielmus.

8° BEATA MARIA NUM FUERIT FUSCA.

(Vide supra. VII. 498. 1 2).

9° OCULI EJUS PULCHERRIMI.

Averte oculos tuos a me, etc. (Cant. VI. 4.)—Tertius sensus, principalis : nonnulli explicant de B. Virgine Christum concipiente et pariente, *q. d.* B. Virgo, quæ in altissima et purissima divinitatis contemplatione versaris, ob ea oculos mentis averte, eosque converte ad contemplandum incarnationis Verbi, quod in te peragitur, mysterium : hi enim puritatis mentis tuæ oculi quasi me mihi surripuerunt, ac e sinu Patris in gremium suum evolare fecerunt. Verum quia ad litteram hic agitur de Ecclesiæ reformatione et Synagogæ conversione, potius sic exponas, *q. d.* Pura et ardens intentio tua, o Virgo, qua Ecclesiæ renovationem et Judæorum conversionem ardentissime intendis, desideras, oras et procuras, adeo mihi placet, ut illam ulterius ferre nequeam, quin potius illi obsecundem, illique quasi me tradem, ut perficiam et opere compleam id quod tantopere desideras et flagitas.

Hos occultos mentis B. Virginis oculos prodebant oculi corporis angusti, et amore Dei flagrantes; unde de iis poeta

*O Charissimæ luces,
Nitidissimi soles,
Felicissimæ faces,
Augustissima sidera !*

Luces animæ, soles mentis, faces cordis, sidera animi. O vultum ! o cælum, tot, tamque divinis lucibus, facibusque celatum ! « O facies magni mihi numinis instar ! »

Sane vidi Romæ imaginem Deiparæ, a S. Luca depictam, in qua oculi et vultus majestatem augustam, et plus quam humanam representant.

10° EA QUO SENSU DICATUR NIGRA ET FORMOSA.

Nigra sum sed formosa etc. (Cant. I. 4.)—Tertius sensus, principalis : primo, B. Virgo nigra fuit non in se, sed in patre suo Adam qui peccavit et peccato totam suam posteritatem (excepta B. Virgine) infecit, est ergo ipsa nigra per dominationem extrinsecam, quia filia peccatoris; in se tamen est formosa per gratiæ plenitudinem. Unde S. Ambrosius, sermo II in *ps.* CXVIII : « Caro, inquit, peccatrix quam relevavit in Eva, recepit ex Virgine, suscepit ex Maria primævam suam puritatem et decorem.

Secundo, Rupertus : « B. Virgo, inquit, nigra visa est, cum a Josepho inventa est gravida, qui proinde voluit occulte eam dimittere; sed formosa fuit in veritate, quia concepit obumbrante Spiritu sancto. Rursum nigra fuit per humilitatem, qua se exterius gessit sicut cæteræ matres, quæ ex viro concipientes et parientes sordidantur, ideoque die quadragesimo purificantur. Sic enim et B. Virgo purificata fuit; sed interius fuit formosissima et pulcherrima, adeo que humilitas hæc tanta novum ei decus novamque pulchritudinem conciliavit. »

Tertio, Judæis cæterisque infidelibus vilis et despecta fuit, uti tabernacula Cedar; sed fidelibus, imo Angelis et Deo, formosa sicut pelles, id est tabernaculum (tabernaculum enim Mosis foris operiebatur pellibus, intus vero auro, argento, etc.), et templum Salomonis, quia ipsa fuit templum, imo cælum non manu factum, quod sibi sapientia Dei, puta Christus, ædificavit, *Prov.* IX.

Ita Hailgrinus, quem audi : « Nigra sum in apparentia et despecta tanquam mater leprosi, sed for-

mosa in veritatis existentia, et tanquam veri Dei genitrix gloriosa. Nigra sum tanquam tabernacula Cedar, quia non reputor tabernaculum regis justitiæ, sed sicut cæteræ matres, quorum ventres tabernacula sunt filiorum mœroris et tenebrarum; inter tabernacula Cedar reputata sum, quod interpretatur *tenebræ* vel *mœror*. Verumtamen ego formosa sum sicut pelles dedicatæ vero Salomoni Christo, vero pacifico. Nam sicut illæ pelles arcam typicam continuerunt, sic ego inter mea viscera veram arcam continui, Christum videlicet ejus caro significatur per arcam, ejus anima designata per urnam auream, quæ erat in arca, et deitas designatur in manna; et sicut pelles protegebant totum tabernaculum sic sub umbra meæ protectionis defendo totam Ecclesiam. Ego quidem similis pelli rubricatæ, quia per compassionem doloris tineta sum in passionē filii. Similis quoque pelli hyacinthinæ, contemplatione cœlestium et amore.

Quarto, optime Guilielmus parvus et Hailgrinus referunt ad tempus passionis, quando morienti filio astitit mater dolorosa et obnubilato sole obnubilatus est splendor et decor, quem hæc luna pulchrior de sole suo hauriebat. Censent enim a Spiritu sancto hic adhiberi nobis personam virginis matris, quasi in veste pulla contemplantem, acerbissimos filii cruciatus, *p. d.* Sicut filius non misere sed misericorditer moriens hunc indignum et indecorum tibi luctum designabatur impendi: sic et matri felicissimo pro affectu commoriens filio, et quodam modo in ipso moriens, quia os ex ossibus ejus, et caro ex carne ejus ipse: quid, ait, fletis super me, quasi supra miseram mulierem, et matrem miseri hominis? Nigra

nunc sum, quia oportet me cum filio despecto despici et cum reputato leproso leprosam reputari. Ille juxta prophetam sol meus, nunc factus quasi saccus colicinus in oculis vestris, et cui non est species neque decor; me quoque decet illi conformari, et pullo atroque habitu reorum assimilari: sicut tabernacula Cedar, quasi aliqua de peccatricibus, ait Honorius.

11º EJUS LABIA QUALIA.

Sicut vitta coccinea, labia tua. (Cant. IV. 3)— Tertius sensus, principalis: « In labiis tuis, inquit Rupertus, confessio et pulchritudo est; in labiis tuis sanctitas et magnificentia est. Illa Deo fuit muta, tu autem magnificasti Dominum mente ardentissima, voce suavissima, et hæc est vitta coccinea, quia caritas est ignea, qua bene cum ea ligata sic Deo adhæstisti, ut unus cum eo spiritus sis. Hinc eloquium tuum dulci, quia videlicet ex abundantia cordis os loquitur, et dulcedinem quæ abundat interius, sapit sermo, qui redundat exterius.»

Deinde funiculum Rahab mystice explicans, et B. Virgini adaptans ipsa subjungit: « Ecce Rahad meretrix dulcis eloquii tui *vittam coccineam*, sive coniculum coccineum, in fenestra sua ligavit, signum suæ fidei, quod nuncios Josue sive Gesu suscepit, atque salvaverit; dum Ecclesia quondam peccatrix et idololatriæ meretricio sordida, dulce eloquium tuum, quo magnificavit anima tua dominum, pignus suæ salutis jugiter personat, et omnem doctrinam evangelicam, in qua ipsos apostolos tua sine dubio labia confirmaverunt, integra semper fide prædicat. Et

de omni quidem anima quaecumque diversa sentientes ad unitatem sua prædicatione constringit, ut idipsum dicant omnes, et hoc agit in charitate et fide non ficta, verum est dicere, quia labia ejus sicut vitta coccinea, sed in ista gratia cæteris omnibus es incomparabilis post me dilectum tuum, cui specialiter Spiritus in psalmo dicit: *diffusa est gratia in labiis suis, Psalm. LIV. 3.* »

Denique labia B. Virginis ita ex S. Epiphanio depingit Nicephorus, liv. II *histor.* cap. XXIII: Labia florida et verborum suavitate plena. » Et paulo ante: « Erat omnibus in rebus honesta, gravis, pauca admodum eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, et perquam affabilis, honorem suum et venerationem omnibus exhibens, etc., docti dicendi libertate adversus homines omnes usa est, sine risu, sine perturbatione, et sine ira maxime. »

12º EJUS PULCHRITUDO DUPLEX.

VII
535
1
Ecce tu pulchra es, amica mea, etc. (Cant. I, 14.)
— Tertius sensus, principalis: B. Virgo fuit ad miraculum pulchra, tum corpore, tum longe magis anima et mente.

S. Bernardus duplicem pulchritudinem B. Virgini assignat, summam innocentiam et summam humilitatem. Post verba enim jam citata subdit: « Verum in eo qui graviter peccavit, etsi amanda non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinet et nihilominus humilitatem jungit, nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Sancta

Maria sanctimoniam non omisit, et humilitate non caruit; et ideo concupivit rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiae sociavit. Denique *respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ*, Luc. I, 48. Ergo beati qui custodiunt vestimenta sua munda, videlicet simplicitatis et innocentiae; si tamen et decorem induere humilitatis adjeiciant. Profecto audiet quæ hujusmodi invenitur: *Ecce pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra.* »

Rursum Rupertus geminam pulchritudinem B. Virginis interpretatur virginitatem et maternitatem Dei. Vide dicta, *Prov. XXXI, 25*, ad illa: *Fortitudo et decor indumentum ejus.*

Denique Hugo Victorinus, in serm. *de Assump.* qui extat sub finem, t. II, duplicem Virginis pulchritudinem accipit, virginitatem et humilitatem: « O qualis, ait, societas, totus pulcher totam pulchram sibi sociat. Ego totus pulcher, et tu tota pulchra. Ego per naturam, et tu per gratiam. Ego totus pulcher quia totum quod pulchrum est, in me est. Tu tota pulchra, quia nihil quod turpe est in te est: pulchra in corpore, pulchra in mente. In corpore pulchram te facit integritas: in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. Tota, ergo, pulchra es, corpore nivea, mente sincera. » Et nonnullis interjectis: « Nec alia tamen decebat, nec alius tali inveniri poterat. O digna digni, formosa pulchri, munda incorrupti, excelsa altissimi, mater Dei, sponsa regis æterni. »

13° EJUS FORMA INTUENTES AD CASTITATEM EXCITATIT.

Et abscondit caput ejus. (Judith. XIII, 10) — Allegorice, Holophernus typus est diaboli, cujus caput vera Judith, id est B. Virgo, contrivit juxta oraculum a Deo editum, *Gen.* III. Judith Holophernum terrorem orientis singulari certamine, quasi in duello, sui ipsius acinace sine vulnere velut ludibunda cecidit, et quod magis fuit arduum, pudicitiam e mediis impudicorum castris intactam, et opimis spoliis triumphantem reduxit. At B. Virgo innumeras dæmonorum phalanges duello singulari prostravit, et in dies prosternit, et castitatis triumphum non tantum in se, sed in omnibus virginibus castisque sui asseclis celebravit et celebrat: imo, quod omnia jura naturæ superat, virgo simul est, et mater Dei, ac una trino cognomine gaudet.

Una Dei pariter filia, sponsa, parens. Judithæ acclamaverunt Assyrii: *Non est talis mulier super terram.* Et: *nomen tuum memorabitur in universa terra.* B. Virgini quotidie in ejus hymnis acclamat Ecclesia: *Beatam te dicent omnes generationes.* Judith forma fuit admirabili, ut ad eam omnes obstupescerent. B. Virgini accinit Ecclesiæ: *Diffusa est gratia in labiis tuis, speciosa et suavis facta et in deliciis tuis, sancta Dei genitrix.* Imo Christus ipse, in *Cant.*: *Tota pulchra es, amica mea, formosa mea, columba mea.*

Porro Judithæ pulchritudo Holophernum excitavit ad luxuriam; at B. Virginis forma intuentes excitabat ad castitatem.

Audi S. Ambrosium lib. *de Institut. Virg.* cap. VII: « Cujus (inquit loquens de Virgine) tanta erat gratia,

ut non solum in se virginitatis gratiam servaret, sed etiam his quos viseret integritatis insigne conferret. Visitavit Joannem Baptistam, nec immerito mansit integer corpore, quem in tribus mensibus, oleo quodam suæ præsentiae et integritatis unguento Domini mater exercuit. »

Ita S. Ambrosius et S. Thomas III, *sentent. distinct.* III, *quæst.* II, ad 4: « Pulchritudo, inquit, B. Virginis intuentes ad castitatem excitabat. » Idem enim docet glossa, *serm. de Concep. B. Virg.* quod quidem ex peculiari Dei dono concessum est.

14° DICTA VARIA PATRUM ET DOCTORUM DE UTRAQUE
EJUS FORMA.

(Vide supra; pluribus locis, VI, 530 31, et 32).

15° HABITA EST A S. DIONYSIO PENE UT DEA.
(Vide supra VI, 532, 1, 2).

16° QUIA VULTUS EJUS SPIRABAT QUID MAJESTATIS.
(Vide supra VI, 532, 1, 2).